Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35998
Copyright: Melk, Benediktinerstift



ad cuius cultum erat deputata. Neque per caput tuum. quia
opus est diuinum non tuum. quia non potes ibi facere vnum
capillum album vel nigrum. In omnibus istis sic nec per
deum est iurandum incaute et sine necessitate. quia cum
quelibet creatura sit opus diuinum. qui iurat per cre-
aturam iurat per deum. Sit autem sermo vester est est. non
non. simpliciter affirmando veritatem et negando falsitatem.
Quod autem his habundancius est a malo est. Audi-
stis quia dictum est. oculo pro oculo. dentem pro dente.
// malo Ego autem dico vobis non resistere // Sed si quis te percusserit
in dextram maxillam. prebe illi et alteram. Loquitur
in illo casu in quo ex resistencia surgeret maius ma-
lum scilicet maius scandalum et malum exemplum. tunc debet
habere animum paratum ad sustinendum etiam maius malum
sibi illatum. vbi non timeretur quod daretur audacia malis
hominibus simplices opprimendi. potest eorum malicie sine
periculo obuiari. Et qui vult te cum iudicio contendere
et tunicam tuam tollere. dimitte ei et pallium. Et qui-
cumque angariauerit te mille passus. vade cum eo alia
duo. Qui petit a te da illi. Semper enim petenti dan-
dum est. vel res vel verbum. quia si iuste petit non
debet sibi denegari quod petit. si autem irrationabiliter
petit dandum est sibi verbum. docendo eum de irrationabilitate
sue peticionis. Doctrina enim est quoddam donum bonum.
Et volenti mutuari a te ne auertaris. mutuando
si rationabiliter petit. vel rationem pet reddendo si irrationabiliter
Et qui aufert que tua sunt ne repetas. Et prout
vultis ut faciant vobis homines. et vos facite
illis similiter. Audistis quia dictum est. Diliges

pxi